

minus absoluti decreti Doctores fundamentaliter errent, impediet. Nam Augustinum decretum absolutum cum Calvinii Schola constanter docuisse, quibus Argumentis demonstrabit Vir Celeberrimus? Certe non tantum Augustini aetate, sed & post Augustinum per aliquot secula absoluto decreto ita contraria asseruit Ecclesia, ut illud in Prædestinarianis etiam & Godeschalco atq; alleclis tanquam impium dogma damnaverit, nunquam tamen in erroris istius impii societatem relata Augustini doctrina. Quin, qui Prædestinarianorum hæresin ex male intellectis Augustini Scriptis haustam arbitrati sunt, ab absoluti decreti errore Augustinum hoc ipso sane absolverunt. Præterea ipse Vir Celeberrimus dissert. cit. pag 98. nec Systema Augustini ab omnibus contradictionibus liberum esse, nec ita positum vult, ut verba, aliquando varie explicari nequeant, nullum logomachis locum relictura. Si autem ex verborum ambiguitate de mente Augustini certitudo colligi nulla potest, quomodo absolutum decretum cum Calvino affirmasse Augustinus censendus erit? Sed & ib. p. 96. fatetur, Theologos nostros, Augustinum potius, ad Reformatorem quam ad nostram sententiam deflectere adeoque absolutum decretum docere, hætenus negare visos esse. Qui ergo Augustinum absolutum à fide Electionis decretum statuere negant, illis obijci non potest, quod, dum Augustinum ob absolutum decretum non damnant, Calvinii tamen Scholam propter pertinaciter defensum absoluti decreti dogma erroris fundamentalis arguant.

§. XXXVII.

Lutherum à Lutheranis Theologis absoluti decreti nunc in-
cusari, mira omnino res videtur, maxime cum toties contra Cal-
vini Scholam, Lutherum hic in partes suas trahere conatam, à
Lutheranis de Lutero probatum contrarium fuerit. Itaq; Ar-
gumenta, quæ pro Lutero sibi hic assentiente attulerunt Luthe-
rani

rani